



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

V. Mos seu lex, de subditis in religione continendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

diuisi sunt in Augustano-Confessionistas siue Lutheranos Stoicos seu Rigidos (sic enim eos qui Lutheri dogmatis mordicus adherent; alios vero aliquanto magis remissos, Molles appellat) & Interimistas, qui ab alijs se iuncti sunt; & quamuis sub Lutheranorum nomine comprehendantur, ac per omnem fere Germaniam, imprimis vero per vrbes septentrionales sparsi sint, nequaquam tamen iam Catholicos virtute æquant, quamuis eosdem antea longe superarint. Hic vos, ô Galli Calvinistæ, qui nouæ vestræ Ecclesiæ limites tam longe lateque protensos dicitis, è chartis ac tabulis quibus vestræ Mundum religionis depictum ostentatis, Germaniam, quæso, expungite. Quos enim vos fratres vestros esse vultis, ij vos Sacramentarios appellare omnibusque conuitijs insectari non dubitant quoties in vos anathema dixerunt? quoties æternum irreconciliabiles vos esse declararunt? Nescitis quid hæc elogia sibi velint? Teuffelen / Durchteuffel / Oberteuffel / Verteuffelte Keger? Equidem interpres esse nolo, ne crabrones in me iitem. Mihi quidem vos idem facere videmini quod ære obruti mercatores; qui ad mendacitatem redacti, vt fidem quâ possunt tueantur, aliena pro suis ostentant. Quod si recte rationem inieritis, vix angustum aliquem angulum vbi latibula vestra habeatis, solo quippe Palatinatu, & paucorum Comitum ditianculis inclusi. Omnes enim qui Augustanam Confessionem sequuntur, omnes Interimistæ, omnes Lutherani, molles, rigidi, & quicumque alij vobis contradicunt atque etiam anathema hodie dum annunciant. Numquid Lutherus nihil cum Sacramentarijs rei sibi esse voluit? numquid societatem eorum maledictam pronunciauit, idque verbum sæpius postea repetiuit? Numquid eorum quos vos fratres vestros esse iactatis, contra vos strictos gladios? numquid fumum è sclopis contra vos displosis in media Gallia vidistis, atque etiam corpore excepistis? Noti sunt vobis Comites Valdeicij, Reingrauij, Comites, Barbicenses, Landgrauij Dietz, Comites, Marchiones Badenses, Ernestus Mandeslous, Otto Porlitijs, Carlouicijs, & alij æquitum peditumque præfecti, qui maiorem vestrorum in Druydum campis, ad Monæcurium, Iacnacum, & alijs locis prælio victorum cruentas strages ediderunt, ac casorum corporibus terram fecundarunt. Sed vt & vanitas vestra & ipsa dei veritas tanto melius appareat, calculum ac-

curatius aliquanto subducamus, ac rem ipsam veluti ob oculos proponamus.

IV. Germania omnis in tres ordines siue Status diuisa est. Primus ordo est Ecclesiasticorum, qui potentes admodum sunt, vt inter quos complures pro Imperij Principibus censentur. Ex horum numero sunt primo Archiepiscopi Moguntinus, Colonienfis, Treuirensis, qui etiam Electorali gaudent dignitate; tum Salisburgenfis, Magdeburgenfis, Bremenfis, &c. Post hos sunt Episcopi Bambergensis, VVirciburgensis, Leodiensis, Vormaticensis, Spirensis, Argentinenfis, Curienfis, Augustanus, Tridentinus, Braxienfis, Vefontionensis, Constantienfis, Hildesheimensis, Ratzenburgensis, Frisingensis, Osnaburgenses, Monasterienfis, Ratisbonensis, Passauiensis, Basileensis, Cameracensis, &c. Tum Abbates, Fuldenfis, Hirsfeldensis, & alij qui omnes, vt diximus, inter Imperij Principes numerantur. Secundus ordo est Principum secularium, in quo sunt multi Duces, Comites, & Barones magnæ potentie. Ad tertium ordinem pertinent ciuitates, quæ liberæ & Imperiales nominantur, vt quæ præter Imperatorem dominum non agnoscent, eique leue tributum pendunt: quamuis nonnullæ sub particularium quorundam Principum sint patrocinio. Earum ciues summa fruuntur libertate, & vtram volunt, vel Catholicam vel Lutheranam religionem sequuntur. Ad ceteras enim sectas quod attinet, nulla hic fertur, nec quisquam vllam profiteri publice audet. Ex his vero vrbibus nonnullæ tanta sunt potentia, vt etiam eum potentissimis Principibus bellum suscipere audent, vt post bellum Smalcaldicum Magdeburgensis ciuitas non Imperatori tantum, verum etiam toti fere Imperio sese opposuit & nostro tempore Brema, Norimberga, Lubeca potentissimis Principibus restiterunt. Porro tres hi ordines omnes & singuli ad comitia ab Imperatore indicta veniunt, aut Legatos suos mittunt: in quibus controuersie religionis magnis contentionibus & varijs studijs sæpe hætenus disceptatæ sunt, dum vtrique tamquam pro aris & focis pugnant, & maiori fere quam religionis quisque suæ progagandæ desiderio tenentur.

V. In Germania vero instar sanctæ & inuiolabilis legis hoc obseruatur, vt dominus subditis quam vult religionem præscribat: sic vt Prin-



cipes Ecclesiastici qui merum habent imperium, non nisi eos qui Catholicam profiteantur religionem, in ditione sua ferre necesse habeant. Idem ius est Principibus secularibus. Quod vero nonnulli diuersas tolerant religiones, si metu rebellionis sive tumultus. In libro Concordiæ editat decretum, quo cauetur, ne vel Princeps vel quicumque Status Imperij alterum Statum aut Principem, suam recipere cogat religionem, multo minus vero aliter subiectos, in concumeliam legitimi magistratus, in patrocinium suscipiat. Quamuis autem lex illa rigida videri possit, facit tamen pacis desiderium ut non iniquissimo animo feratur. Quod si apud aliquem plus possit conscientiae vis quam domini metus, et alio commigrandi datur facultas; recipiendi tamen eundem contra legitimum magistratum defendere licet. Si vero Princeps aliquis Ecclesiasticus deserta religione, uxorem velit ducere (vix enim alia eiusmodi metamorphoseos causa occurrit) ei deditio statim auferitur, acque omne quod habuit imperium, ut quod ab Ecclesia dependet, abrogatur. Hanc quidem legem Protestantes non semel infringere acque abolere conati sunt. Vidimus in campum productas acies, & muros passim ariete percussos, in diocesi maxime Coloniensi, ubi duo Episcopi à Catholica defecerunt religione, Principatum nihilominus ac ditionem retinere summis viribus annixi. Veruntamen effecere nihil, fugati sunt & misere vitam terminarunt. Hermannus Episcopi historiam supra explicauimus; alteram Gebhardi etiam breuiter recenscamus: quorum uterque in summa Electorali dignitate antea constituti, postquam Lutheranismum nomen dedecunt, ad summas miseras atque inopiam fuerunt redacti.

DE ARCHIEPISCOPI COLO-  
niensis sanctimoniam uxorem ducentis  
apostasia & ruina.

CAPIT. XIV.

ARGUMENTVM.

I. Archiepiscopi Coloniensis in Germania auctori-  
tas & virtus.

- II. Truchsessius Agnetem Mansfeldensem deperit.  
III. Eorum amores divulgantur.  
IV. Femina causa religionem deserit.  
V. A Gregorio XIII. PP. excommunicatus & de-  
positus, Archiepiscopatum armis recuperare  
tentat.  
VI. In eius locum nonus Archiepiscopus à Bauarorum  
Principum familia Eruestus surrogatur.

**Q**uandoquidem de hæreseos decrements  
dicere copimus, ab instituto non alie-  
num erit infelicem Coloniensis Archiepiscopi  
fortunam hoc loco commemorare, in ditione  
illo Quinqueecclesiatum Episcopo, de quo præ-  
cedenti libro diximus, multo infelicitioris. Ex  
qua narratione liquido constabit, Lutheranismum  
ea in regione ubi regnum obtinere vide-  
tur, ibidem iacere, ac pacem animam agere. Est  
vero Coloniensis Archiepiscopus inter Germa-  
niæ principes magnæ admodum potentia, & inter  
Ecclesiasticos maximas possidere diuitias exi-  
stimatur. Hinc ut Constantiensis Episcopatus  
in Germania amplissimus (ut cuius iurisdictio  
longe lateque pateat) Argentoratensis nobilis-  
simus, Spirensis religiosissimus, sic Coloniensis  
opulentissimus pro uerbo apud Germanos, ac  
post Romanam urbem, Coloniensis ciuitas in  
fide Constantissima, & ipsi B. M. V. coram æsti-  
matur. Huius Ecclesiæ prima fundamenta a Ma-  
ttheo S. Petri discipulo iacta sunt: cuius etiam  
singularis in fide Christiana constantia, & perse-  
cutio erga S. Apostolicam Sedem ad hoc usque  
tempus fuit reuerentia; adeo ut publico hoc elo-  
gio gaudeat: COLONIA FIDELIS ROMANÆ  
ECCLESIAE FILIA (A) Archiepiscopi hu-  
ius loci fere ex Principum numero aut illustri  
aliqua familia leguntur; iidemque Septem-  
turali seu Electorali dignitate sunt conspicui. Di-  
tionem habent quæ amplam tum opulen-  
tiam; quæ florissimæ pulchra oppida continen-  
duntur, in qua summum Archiepiscopus habet  
imperium. Ad Archiepiscopatum hanc pertinet  
Principatus Agrippinensis tempore Otto-  
nis Magni valde auctus, per Rhenum ripam à  
Confluente Mosella & Rheno ad Rhenum di-  
uertigium iuxta Insulam Batavorum proten-  
sus.

a Videtur Colonia Coloniensis Sacrauium Agrippi-  
nae VII. in herzog. Breolmanni Epitagma (c).